

1079.
procul decepti illos similiter corporeos, rebusque corporeis affici, cibis vesci, generare, mori instar hominum existimarunt. Patres à nonnullis excusantur, quia interdum satis dextrè & ingenuè confessi fuerunt, Angelos esse Spiritus. Quando verò corpora iis tribuerunt, tunc dicunt ipsos locutos fuisse comparatè & certò respectu, ut corpus oppositum esset *φαντάσματι*, & hoc sensu etiam DEUM, corpus vocasse Tertullianum ajunt, unde & sic Angeli corpora vocari possent. Vel locutos fuisse *respectivè*, & omne illud corpus vocasse, quod est compositum & mutabile, ita enim Origines l. 2. de princip. c. 23. Præter DEUM, inquit, nihil vivere sine corpore. Malè etiam Johannes Episcopus Thessalonicensis in Synodò quâdam hâc ratione ductus, quod Angeli depingerentur, statuebat eos corporeos esse, adeoque figuram habere. Sed cur non ita etiam DEO corpus aut Angelis alas, quia à Pictoribus ita pinguntur, descripsit? Pictura læpe est rei non existentis, est representatio rei juxta figuram apprehensæ, quæ vel pueris nota sunt, atque sic sententia tantò Episcopo indigna videtur.

§. 18. Pro hâc sententiâ autem, quod Angeli non sint simplices, sed corporei, subsequentiâ militare videntur. (1) Quicquid est, per suam formam est; Angeli sunt, E. per suam formam sunt. Major probatur, quia forma dat esse rei. (2) O. substantia mutabilis est etiam materiata sive corpus; Angeli sunt substantiæ mutabiles. E. etiam materiati, sive corpora sunt. Major probatur; quia cui inest mutabilitas; ei inest etiam principium mutabilitatis, quod est materia. (3) Angelus agit & patitur E. habet in se principium passivum, nempe materiam & activum nempe formam, & sic ex his compositus est. (4) Quæcunque substantia cadit sub visum, illa est materiata; Angeli sunt substantiæ, quæ cadunt sub visum E. (5) Angeli sunt in locò & locò moventur: at hæc non nisi

nisi